

editiones bonae possunt esse plures pro edi-
 toris consilio et libri usu. Ut enim poetae,
 tam emendate qualem nunc eum habemus ex-
 pressi, exemplaria prostent quam plurima,
 eaque modo modico quo parentur pretio,
 modo typographico cultu et ornatu se com-
 mendantia, quis neget et in votis habendum,
 et rem fore longe utilissimam cum ad lectio-
 nem qualemcunque, tum ad interpretationem
 poetae ex cathedra. Nec damnandum esse
 dicam, si in certo studiorum stadio seu gradu
 ex ea lectione nihil aliud quaeratur quam ser-
 monis Graeci scientia et usus; adeoque nec
 illud explodendum, si editiones curentur ad
 grammaticas maxime rationes instructae,
 ita ut exquisitiores et rariores formae in mar-
 gine vel ora inferiore sint annotatae, aut in
 indicem reiectae: etsi vereor ne index recte
 institutus nimis magna mole molestiam fa-
 ciat; et extant Lexica, Schreuelii et Hederici,
 quibus illos forte usus consequi licet; nam in-
 dices et claves in Homerum bene institutas non-
 dum vidimus, nec verborum nec rerum; e quo
 genere index editionis Lipsiensis non semel bi-
 lem mihi mouit. Itaque equidem utilius esse
 arbitror, Homeri verba nuda editionibus repe-
 tere, versione quidem omni, certe vulgari
 hac omnium ineptissima, reiecta. Nec rem
 prorsus inutilem esse facturum eum dicerem,
 qui editionem Clarkianam recudendam cura-
 ret, si modo observationes cum metricas tum
 grammaticas, imprimis de temporum ratione,